

Friedrich-Universität Bützow

**Rector Et Concilium Academiae Fridericianae Buetzoviensis Civibus Pentecostes  
Festum, Pio, Quo Par Est, Animo Obeundum Rite Indicunt. Præmittitur Epimetri  
Ad Commentationes De Ebionæis, Particula Prior**

Buetzovii: Typis Johann. Gotth. Fritzii, [1768?]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn183714057X>

Druck Freier  Zugang



Mkl h

3468



Landesbibliothek  
Mecklenburg-Vorpommern  
Günther Uecker

[https://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn183714057X/phys\\_0001](https://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn183714057X/phys_0001)



ZfB ME

05. Aug. 1999

● entsäuert

Verf. dieser 7 Bützower Festprogramme  
ist Christian Albrecht Döderlein.


Mull. h.  
3468

6  
RECTOR ET CONCILIUM  
ACADEMIÆ FRIDERICIANÆ  
BUETZOVIENSIS  
CIVIBUS  
PENTECOSTES  
FESTUM,

PIO, QUO PAR EST, ANIMO OBEUNDUM

RITE INDICUNT.

PRÆMITTITUR EPIMETRI AD COM-  
MENTATIONES DE EBIONÆIS, PAR-  
TICULA PRIOR.



---

BUETZOVII

TYPIS JOHANN. GOTTH. FRITZII, SEREN. PRINC. AUL.  
ET ACADEM. TYPOGR.


*Pfingste* 1768.

RECTOR ET CONCIILIUM  
ACADEMIE FRIDERICIANAE  
BURGOMESTRI  
CIVIBUS  
PENTECOSTES  
FESTUM.

MDCCCXXXIII  
MDCCLXXXIII  
PREMIUM  
MAGISTRUS DE RECTORIBUS  
SICULA PRAEOR.



RECTORIBUS  
MAGISTRIS ET PRAECEPTORIBUS  
ACADEMIE FRIDERICIANAE  
BURGOMESTRI  
CIVIBUS



I. N. J.



§. I.

Quo in praesentia, quod sub finem commentationis praecedentis polliciti sumus, magna ista consecraria, ex iis, quae de Ebionæis adhuc disputata sunt, sponte sequentia, stricturasque imprimis nonnullas *Artemonianas*, adjiciamus, haecque ratione totum de Ebionæis commentarium nostrum utili aliquo concludamus epimetro; constitueramus equidem, quidquid adhuc dicendum videbatur, una & singulari complecti scriptiōne. Sed cum omnia jam in chartam conjecerim; fonticæ nonnullæ accedunt causæ, quæ me cogunt, ea quæ scripseram divellere, & publicata hoc quidem tempore priori particula, posteriorem ad aliam occasionem rejicere. Primo igitur loco tota hæc Ebionæorum causa exemplo esse potest, quam proficuum non solum, sed plane necessarium sit ad veros scripturæ sa-


cræ sensus in gravissimis doctrinæ capitibus investigandos atque interpretandos, ut res & genuinas hominum prisca istius temporis, inter quos versabantur Christus & Apostoli, opiniones & sententias accurate noveris. Hæc adeo manifesta sunt, ut a plerisque omnium partium interpretibus inter prima interpretationis elementa referantur, multisque verbis vel ab ipsis illis exornari soleant, qui longissime a receptis interpretationibus sibi recedendum esse putant. Non igitur ideo hæc monui, ut ea tanquam nova præcepta probem denuo, sed ut commonefaciam interpretationis sacræ & theologiæ studiosos, hanc omnium maxime necessariam regulam semper ante oculos habere. Utut enim eam omnes in ore habeant, dubitare tamen vehementer licet, si ad hominum res morèsq; attendamus, an re ipsa ab omnibus, qui oraculorum divinorum interpretes, religionisque revelatæ doctores, immo & emendatores esse volunt, ita observetur & ad usum transferatur, prouti fieri par est. Liceat mihi hoc loco non cum doctis, quibus ineptum foret hæc præcipienda putare, sed cum tyronibus theologis pauca differere, quibus hujus generis præcepta satis inculcari nequeunt. Etenim complura sunt & æque necessaria præsidia, quibus instructus is esse debet, qui aliis veros scripturæ sacræ sensus aperire, dogmata illius constituere, sicque ecclesiam de vera religionis christianæ natura & indole informare cupit. Quælibet ætas unum aut alterum horum præsidiorum præ cæteris excolere & exornare solet, prouti temporum & religionis status id quidem postulare videtur: quod quidem hanc ipsam ob causam improbandum haud est, dummodo reliqua præsidia non plane negligantur & posthabeantur. Sed accidit fere, quæ humani ingenii imbecillitas & miseria est, ut homines unius alicujus studii amore & admiratione capti, reliqua contemnant & flocci faciant, aut ad debitum certe usum haud transferant. Qua quidem ratione idem illis accidat necesse est, quod iis evenit, qui per vastissimum aliquem campum decurrentes, variis deviisque orbitis distinctum  
& in-

& interceptum, eam infiniti hujus spatii notitiam haud habent, ut uno quasi obtutu istud intueri, cogitandoque complecti, exitusque omnes animadvertere possint: sed ex uno tantum angulo angulo totum hunc campum aggredientes, viamque metientes, iter instruere volunt. Hi enim in errores & ad devia loca necessario deducuntur: aut si quando verum exitum inveniunt, casu id accidit, non ratione. Inter prima interpretationis sacrae fundamenta & subsidia merito refertur textus sacri ipsius recta constitutio, & expurgatio. Quomodo enim veros divinatorum legatorum sensus ex ipsorum verbis te percepisse certus esse possis, nisi scias, ipsa illorum verba non adulterata, non glossas interpolatorum, non vitia libratorum, te in manibus habere? Habet hac in parte nostra ætas, quo summo jure præferre se possit majoribus nostris: nec nisi rerum theologiarum imperitissimus negabit, præstantissima magnorum hominum studia, quibus hunc interpretationis sacrae locum magnis accessionibus auxerunt & quotidie magis augent, summa laude digna esse. Multo minus quisquam prudens usum horum studiorum ipse negliget. Sed & illud quivis intelligit, hæc ad exteriorem vocum habitum tantum pertinere: quis vero sensus hisce vocibus sit subjiciendus, ut recte perspiciamus, aliis & longe pluribus præidiis opus esse. Hinc & qui criticis istis studiis ita se immergere totus velit, eaque unice ita admiretur, ut reliqua contemnat, aut non satis accurate tractet & in subsidium adhibeat, cum interea pro ingenii humani indole nihilofecius dogmatizare, religionemque in scriptura sacra traditam explicare studeat; facile eo delabatur, ut audaces conjecturas, temerariaque ingenii sui visa, quibus dogmata scripturae s. re ipsa pervertuntur & turbantur, aliis obtrudat. Accedat igitur oportet accuratissima cultura istorum studiorum, quibus veras vocum notiones investigare & percipere docemur. Ad singularum vocum in se spectatarum indolem & vim recte intelligendam linguæ ipsius, qua divini legati usi sunt, exacta & accurata notitia pertinet. Hinc summis in ve-

ram theologiam gaudent meritis, qui hebraicæ non solum, sed & græcæ linguæ, illius nimirum, quam in N. T. libris deprehendimus, veram naturam, cunctis præfidiis philologicis undique conquestis, declarare, singulasque voces enucleare studuerunt. Hinc magna ista copia observationum philolicarum prodiit, quæ ad interpretandum verum scripturæ s. sensum passim multum lucis attulerunt. Sed ne hoc quidem universo isti fini, cui obtinendo scriptura s. a Deo destinata est, satisfacere, facile intelligitur. Res ipsa, quam istæ voces, quarum vim & indolem generatim tenemus, in ista cohærentia & in illo orationis contextu indicant, quem scriptura exhibet, investiganda est: idque non membratim, non per particulas quasi dispersas & discerptas, sed ita, ut totius illius gravissimi negotii, cujus gratia scriptura s. nobis a Deo tradita est, tanquam integri alicujus præstantissimi-que corporis, notionem animo informare discamus, quo, quomodo singula membra inter se cohæreant, alterumque ad alterum referatur, uno quasi obtutu intueri possimus. Tradi enim nobis in scriptura disciplinæ aliquam formulam concinnam apteque cohærentem, & institutionem beatæ vitæ consequendæ, nemo sane negaverit, qui divinam illius originem agnoscit. Quot quibusque membris hæc constet formula, jam non disputo: sufficit, inesse in scriptura doctrinæ quoddam cohærens corpus, sive ex paucis jam istud & exiguis, sive ex multis conficiatur partibus. Hujus igitur ut veram genuinamque notionem assequamur, ut illam deinceps vero mentis obsequio ad emendandum animum formandosque mores & vitam transferre possimus, ultimum istud est, quo totum interpretationis negotium tendere, omniaque reliqua subsidia critica & philologica referri debent. Qui hac in re ita, ut decet, versatur, is demum aliquid, quod consilio divino omni ex parte conforme, & ad veros usus ecclesiæ christianæ accomodatam sit, in medium attulisse jure dici potest, II *Timoth.* III, 15. ff. Est vero, quo istum interpretationis sacræ finem assequamur, omnium maxime necessarium, ut

ut temporum hominumque, cum quibus versati sunt divini legati, divinasque res proxime communicaverunt, historiam, quantum fieri potest accuratissime teneamus. Non exterioris tantummodo & civilis vitæ & rerum gestarum historiam dico, sed imprimis ingenii, morum, sententiarum & opinionum, quæ inter istos vigerunt homines. Hanc si probe noveris, semperque ante oculos habeas, præsuppositis reliquis istis, quas antea significavimus, criticis & philologicis artibus, facile perspicietum, quæ singulis vocibus & decretis isto tempore vis subjecta, qualisque in istis propterea sensus a nobis intelligendus sit? tum quo tota oratio tendat? quid spectet divinus legatus? quid laudet & approbet? quid vituperet? quid emendari cupiat? sicque cum inter istos homines, cum quibus loquuntur divini viri, quasi præsens sis, istisque temporibus quasi vivere incipias, singularum scripturæ partium vero sensu primum perspecto & recte constituto, ex illorum comparatione sensum facile integram istam beatæ vitæ institutionem & disciplinam inveniemus, quam quarimus. Hæc si vera sunt, quod passim omnes fatentur, hancque interpretandi rationem summis laudibus extollunt; manifestum est, in interpretandis præcipue libris novi Testamenti, qui præcipua religionis christianæ sede merito habentur, opinionum & sententiarum judaicarum istius ætatis, religiosarum imprimis & theologicarum, accuratam notitiam adeo necessariam esse, ut a summa temeritate animique levitate prope abesse merito censeatur, quicumque istis neglectis aut omnino ignoratis, novi aliquid afferre se posse putet, quod rationem habeat, & ad reformandas, in dogmaticis præcipue rebus, antiquitus receptas interpretationes, meliusque declarandam christianæ religionis indolem, arcendasque humanas accessiones, faciat. Etenim Christus & apostoli ex medio judaismo prodeunt, religionem tradunt decretis antiquitus inter Judæos receptis, quod ipsi plus simplici vice affirmant & protestantur, superstructam, cum Judæis proxime versantur, ipsorum utuntur lingua & loquendi formulis.

de



de rebus disputant toti genti judaicæ notissimis, & inter ipsos admodum indefinenterque ventilatis. Hæc si quis consideraverit, fane se nihil, quod operæ pretium sit, asserre posse intelliget, si dubia quædam de vero enunciatorum divinatorum sensu oriantur, quod ad dogmata imprimis & ad præcepta morum attinet, nisi istas judaicæ antiquitates probe perspiciat. Quis persuadere sibi possit, cum divini legati de iisdem rebus iisdem formulis loquantur, ipsos non istum, qui hominibus istius temporis notus & tritus erat, sensum illis subjecisse, sed notiones novas plane, nemini adhuc auditas, repetitas longissime, ab intelligentia istius ævi procul remotas? Hoc enim si esset, ita locuti essent, ut nemo ipsos intelligere, aut quidquam sani, dum loquebantur, potuisset cogitare.

§. II. Supponunt igitur ubique Christus & apostoli opiniones & notitias judaicæ illius ævi, ad eas respiciunt, easque vel comprobando confirmant, vel emendant, vel omnino refutant & repellunt. Si unquam alias, certo isto in loco verissima in medium attulit L. M. Artemonius, ubi, *secessionem gentilium Christianorum a judæis Christianis*, inquit, *ingentia mala toti christianitati peperisse: ignorantiam linguæ hebrææ gravium errorum in antiquitate fuisse originem - - - - gentiles, cum hebraicæ linguæ studium negligenter, adeoque vetus testamentum, adde & genuinam antiquam theologiam judaicam, ad quam Christus & apostoli ubique respiciunt, in ipso fonte consulere haud possent, nec cum Christianis e circumcissione, a quibus sensum scripturæ & idiomata linguæ hebrææ exactius edoceri potuissent, conversarentur, in errores turpissimos labi oportuisse. Vid. Artemonii init. Evang. Joan. ex antiq. eccles. restit. P. II. c. 43. p. 59. f.* Hæc quamvis Artemonius perverse ad oppugnandam præexistentem Christi divinitatem transferat, in ipsa tamen thesi verissima sunt. Qualem Christiani ex gentibus a Judæo-Christianis sensum vet. Testamenti circa Messia divinitatem, discere in eoque confirmari potuissent, ista nos docent, quæ Hieronymus  
a Na-

a *Nazaræis* didicit. Reliqui *Artemonii ψευδολογισμοι* deinceps a nobis in appricum producentur. Sufficit interea, *Artemonium* de hac interpretandi regula nobis consentientem habere. Retundit iste simul his ipsis verbis *Enjedini* sui criminationes, quibus *initium evangelii Joannis obscurissimum, plenum figuratis vocibus & inusitatis loquendi formulis* pronunciat, ap. *Lampium Proleg. comment. in Joan.* cap. I. p. 287. not. b. Neque enim hæc scripturæ s. pericope *Enjedino* tam obscura fuisset visa, nisi neglectis veris fontibus, unde formularum, quas inusitatas & obscuras putabat, sensus hauriri debet, summa vi conatus esset, ea in verbis Evangelistæ videre, quæ ibi non modo non exstant, sed plane rejiciuntur & oppugnantur. Quis enim cum aliqua ratione sperare queat, sermonem & mentem legatorum divinorum, si passim nobis quidem, ab istis temporibus tam procul sejunctis, aliquid obscuritatis inesse videatur, affecuturum se esse, aut ejusmodi interpretationes rationi consentaneas esse posse, quæ notionibus, isto ævo ex verbis Christi & apostolorum sponte occurrentibus plane contrariæ sunt, nec cuiquam eorum, cum quibus loquebantur divini legati, ex linguæ & formularum ipsis notarum natura in mentem venire poterant? vani & jejuni homines sunt, qui hac interpretationis lege neglecta, nescio quos nobis fingunt stylos asiaticos, aut sublimia & poetica dicendi genera, millenasque alias artes. Hæc enim omnia eo comparata esse videntur, ut divina oracula non ex eorum, qui ea prolocuti sunt, ingenio & mente, sed ex nostræ ætatis indole & sententiis, tuisque præconceptis opinionibus metiri & interpretari, & ex quolibet quidlibet exsculpere possis. Hæc si cogitarent expenderentque semper ii, qui ad theologica se accingunt studia; non tam magnam illorum partem res suas videremus tam præpostere agere, corruptoque quodam sæculi genio abreptos sanctissimas hæc litteras ita aggredi, ut, quamquam omnibus præfidiis, quæ ad tam grande negotium necessaria esse ipsa recta ratio dicitur, destituti sint, nihilo secius deinceps, differendi qua-

b

dam



dam audacia adjuti, tam sibi docti videantur, qui vetera im-  
mutare, novasque doctrinæ formulas inducere possint. Quod  
quam perniciosum sit veritati & religioni, quantumque ad cor-  
rumpendos aliorum animos valeat, experientia testatur. Neque  
sane prisca modo temporibus, sed & inde a reformationis ævo  
usque ad nostram ætatem, tot ortæ fuissent circa ipsa religionis  
christianæ prima fundamenta elementaresque doctrinæ turbæ,  
rerumque confusiones, si quidem iis, qui nova melioraque af-  
ferre se posse putabant, satis aut scientiæ aut candoris fuisset, ut  
scripturæ sacræ oracula ex istis veris interpretationis legibus,  
non ex suo ingenio, interpretarentur. Unde & accidit, ut istud  
hominum genus non modo prisca Judæorum religioni in uni-  
versum omnibus modis detrabere, eamque ut puerilem quan-  
dam omnique sublimitate & sale vacuam disciplinam depingere,  
sed studia imprimis, quæ in rimanda antiquissimæ iltius judaicæ  
theologiæ monumenta impendenda sunt, vilipendere, æqualem-  
que contemptum aliorum etiam animis ingenerare solent, quasi  
harum rerum notitia ad christianæ religionis, quæ suo se splen-  
dore & majestate commendat, veram indolem percipiendam  
parum aut nihil utilitatis afferat. Verum enim vero quam hæc  
inepta sint, & veris interpretandi legibus repugnent, facile in-  
telligimus, postisque summo jure ad hosce homines ea transfer-  
re, quæ *Ge. Bullus* in *præmonitione ad judic. eccles. cathol. tri-  
um prior. sæc.* contra *Sim. Episcopii* inepta ratiocinia de utilitate  
legendorum prisca patrum, disputat. Eiusdem commatis  
videntur esse, quæ *Lud. Wolzogenius* in *Prolegom. ad evangel.  
Joan.* de scopo hujus evangelistæ differit, *non ex Patribus, Ire-  
naeo, Theodoro, aliisque*, inquit, *veram evangelistæ men-  
tem & scopum discere nos oportere, sed ex ipsius divini viri pro-  
priis verbis.* Quid hisce lubricis & ambiguis vocibus, quæ suo  
modo sanum habere sensum possint, intendat *Wolzogenius*, ipse  
statim prodit, addens, evangelistam nusquam Christum verum,  
sive ut *Wolzogenius* loquitur, *altissimum Deum pronunciare, id-  
que*


que ex ipsius Joannis verbis, quibus scopum evangelii sui ipse indicet, palam patere; cum se id tantum agere dicat, ut credant homines, Jesum esse Messiam, filium Dei. Cur enim, si Joannes docere voluisset, Christum esse verum & altissimum Deum, id quidem non rotunde esset professus, sed tam obscuris & ambiguis vocibus locutus, quæ tum temporis a multis hæreticis longe aliter accipi potuerint, & re ipsa fuerint acceptæ. Mitto in præsentia ambiguitatem & lusum, Sociniani solemnem, in voce altissimus Deus, cum de Christo differitur. Istud observo, totum Wolzogenii ratiocinium concidere, simulac antiquitatis remotissimæ monumenta studiose rimantes, sententias opinionisque istorum hominum, quos partim probabat Joannes, partim repellere studebat, eruamus, & cum ipsius disputatione conferamus. Neque enim appellatio filii Dei tam fuit obscura aut anceps, ut Wolzogenius sibi persuadet; sed indicabat secundum communes istius temporis omnibusque notas notiones divinam aliquam personam, quæ jam ante conditum mundum apud supremum Patrem exstiterit, supremæque divinitatis Patris sit particeps. Hæc notio nec priscis Judæis in univ. sum incognita erat, neque isto ævo a quoquam hæreticorum, quanquam id falso asserat Wolzogenius, quod ad summam rei attinet in dubium vocabatur, sed tantummodo variis corrumpebatur additionibus. Id quidem homo sensisse videtur, proptereaque alios a studio antiquitatis, illiusque collatione cum apostoli verbis instituenda, deterrere conatur, mollibus utens verbis, quasi id tantum velit, quod omnes Protestantes contendunt, verum scripturæ s. sensum non a Patrum auctoritate suspendendum, sed ex ipsa scriptura s. ejusque propriis verbis eruendum esse. At vero non id agitur, Wolzogeni! ut scripturæ sensum ex Patrum effatis suspendamus: sed istud quæritur, anne statum moresque istorum hominum, inter quos & cum quibus versabantur scriptores sacri, sententias opinionesque isto ævo receptas, studia varia, loquendi formulas, occasionem, quæ oblata fuit divinis legatis, su-



os libros conscribendi, infinitaque alia hujus generis historica monumenta, ex Patribus, quatenus illi quidem sunt historici fide digni, aliisque monumentis discere nos oporteat, quo deinceps his praesidiis muniti, verum scriptorum sensum singulis locis ex ipsius orationis contextu assequi possimus? ut si *Ciceronis* orationes aut epistolas interpretari velis; quis tandem tam fuerit ineptus, qui antiquos criticos & historicos seponere nos posse assereret, neque opus esse, ut ex istis mores & studia Romanorum, res gestas istius temporis, homines, occasionem scribendi, aliaque hujus generis discamus, sed ex ipso solummodo *Cicerone* verbisque ejus genuinum sensum debere erui. Equidem Rabulæ alicui, qui *Ciceronis* auctoritate abuti, & in ipsius disputationibus, quosunque cupit sensus invenire velit, hæcce methodus admodum fuerit commoda; sed quis prudens & cordatus homo eam probabit? Neque propterea Pontificiorum castris nos adjungamus necesse est, ut necessitatem aliquam traditionum ecclesiasticarum ad constituendam religionem christianam statuamus. Videro equidem, non olim modo, sed & nostra ætate nonnullos, qui huic favere videntur sententiæ, ejusmodi pugnare exemplis, quæ monumenta prisca ævi historica ad interpretationem scripturæ s. necessaria esse demonstrant; unde conficere volunt, Pontificiorum decretum de traditionum necessitate verum & rationi consentaneam esse. At hoc ipso hi homines, quæ fuerit inde a primis certaminis temporibus verus quæstionis inter nos & Pontificios status, admodum imperitos se produnt. Istud quærebatur, anne integra & ad salutem necessaria dogmata, quorum nullum in scriptura s. existet indicium aut fundamentum, ex prisca patribus, aliisque traditionis oralis fontibus, discere nos oporteat? aut an singula scripturæ s. loca quoad ipsum sensum litteralem aliter exponi haud debeant, quam prouti ea ab hoc vel illo prisco orthodoxo patre exposita reperimus? Id vero Pontificii affirmant, nostri negant, contenduntque, quemadmodum totus religionis revelatæ complexus in scriptura luculenter  
 repe-


reperiatur, ita veram singulorum dictorum interpretationem non ex auctoritate alicujus prisca patris, sed a justa applicatione istorum subsidiorum & regularum pendere, quibus recta ratio nos in interpretandis omnibus reliquis vetustis libris uti jubet. Sed inter hæc subsidia hermenevtica, monumenta historica istius ætatis vel præcipuum obtinere locum, quis unquam alicujus nominis theologus ecclesiæ nostræ tam fuit vœcors, ut negaret? Veruntamen, quomodocunque jam nonnulli, quibus *Socini* placita haud displicent, erga antiquitatis judaicæ & christianæ studium affecti sint; sufficiat nobis in præsentia, *Artemonium*, ingeniosissimum diligentissimumque recentiori ætate istius dogmatis promachum, necessitatem harum rerum intellexisse, & nobis plane consentire. Præter ea, quæ ipsum supra de utilitate antiquitatis judaicæ differentem audivimus, est alius apud ipsum locus, quo & christianæ antiquitatis cognitionem ad constituendum verum scripturæ s. sensum gravissime commendat, eamque plane necessariam pronunciat. *Ista simplex & genuina explicatio*, inquit, dum suam priorum versiculorum evangelii Joannis interpretationem commendat, *non potuit ministrari, nisi prius in antiquitatibus ecclesiasticis, quas hic multa indagine lustravimus, observata & bene perpensa Cerinthi priore & posteriore Christologia*, cæt. l. c. P. II. c. 47. §. 2. p. 545. Quam prospere cesserit *Artemonio* hic conatus, oppugnandi ex judaicæ & christianæ antiquitate veram & præexistentem Messicæ divinitatem, nunc quidem indagabimus.

§. III. Etenim fieri nullo modo posse plane persuasus sum, ut, quis dubitare possit, qui sententias priscaeorum Judæorum, omniumque reliquorum hominum istius ætatis, qui vellevissimam habebant religionis judaicæ notitiam, cum quibus colloquebantur Christus ejusque legati, teneat & ante oculos habeat, quin istud de præexistente Messicæ divinitate decretum in sacris N. T. tabulis non perspicue modo, sed summa cum gravitate, tanquam primum præcipuumque religionis christianæ fundamen-



tum tradatur, & ad credendum proponatur. Recorderis quæso, Judæos istos statuisse personam quandam divinam ante sæcula existentem apud supremum Patrem, non creatam reliquarum creaturarum modo, sed a Patre ineffabili ratione genitam, quæ sit primigenia Dei sapientia, exactissima imago & splendor majestatis & gloriæ ejus, quæ creaverit universa & gubernet ex voluntate & nutu Patris, versata sit cum Patriarchis & Mose ac Israelitis, voceturque Schechina & Filius Dei: eandem illam divinam personam summa cum majestate in Messia homine revelandam fore, ut universum genus humanum divina luce & cognitione illustret, hominesque ab interitu & morte liberatos ad beatam æternamque vitam perducatur. Hæc porro dogmata memineris, tum a Judæis istius ævi in universum eatenus fuisse corrupta & male intellecta, ut divinam istam personam cum Messia homine societatem quidem quandam, non vero ejusmodi arctissimam unionem inicituram affirmarent, qua ipsa ille homo, filius Davidis, in una sua persona iste Filius Dei altissimi & adorandus Deus futurus sit, & vice versa: tum nonnullos philosophiæ cujusdam ineptias ad judaicam religionem transferentes, concessisse quidem præexistentem istum divinum Messiam, eundem vero non primam supremamque æterni Patris progeniem, sed ex æonum, quos comminiscabantur, inferiorum numero reputasse. Cum his compares, quæ disputat ipse CHRISTUS, *Joa.* III, 13. V, 17 *seqq.* VI, 33 *seqq.* VIII, 12. 51. 58. X, 30. XI, 25. 26. XII, 44. 46. XIV. XV. XVI. XVII, 5 *seqq.* multisque in aliis evangelistarum locis: JOANNES, *Evang.* c. I, 1-18. I. *Epist.* IV, 2. 3. V, 20: PAULUS, *Rom.* IX, 5. *Colos.* I, 15-17. II, 9. *Ebr.* I, 3. *seqq.* Poterisne, quæso, dubitare, si candore quodam animi intelligendæque veritatis desiderio teneraris, quin Christus ipse se, & legati ejus ipsum divinam istam personam esse prædicaverint, quam existere ante sæcula Judæi, & in Messia homine revelandam esse decernebant, hocque ipsum dogma tanquam primum quasi elementum religionis, necessariumque decretum, quomodo de Messia cogitandum sit, si vere in ipsum cre-

credere velimus, tradiderint? ita tamen, ut simul Judæorum Gno-  
sticorumque corruptelas circa unionem personalem ac de infe-  
riori quodam æone, qui sit Christus, emendarent & resellerent.  
Aut suspicaberis, vel unum quendam istius temporis hominem,  
dum ita disputantem audiret Christum & apostolos, ex notionibus  
vocum & formularum isto ævo receptis & apud omnes adhiberi  
solitis, ea unquam potuisse cogitare, quæ *Socinus* ejusque similes in  
his sermonibus cogitare nos jubent? Certe istius hominis inter-  
pretationes ab omni rationis & verisimilitudinis specie, a veris in-  
terpretandi legibus, & ab indole ac loquendi sentiendique ratione  
prisæ illius ætatis, tam immani intervallo sunt remotæ, ut facile  
appareat, non istud eum spectasse, quid divini legati illis vocibus  
& formulis ex ætatis suæ genio significare voluerint, aut quid au-  
ditores secundum suas quas tenebant notitias, necessario debue-  
rint aut potuerint cogitare: sed quomodo divina oracula cum  
suis visis conciliare, eaque ad istam, quam antea jam animo con-  
ceperat, doctrinæ formulam, fūco aliquo excogitato infinitisque  
conjecturis undique conquisitis, detorquere possit. Plane in nihi-  
lum igitur recidit argumentum istud, quod adversarii divinitatis  
Christi semper in ore habere & ostentare solent, quod Christus  
nusquam ipse se Deum prædicaverit. Totum hoc ratiocinium non,  
nisi incitia antiquitatis judaicæ & christianæ nititur. Christus, se  
esse Filium istum Dei, & lucem istam mundi, graviter ubique asseve-  
rat, quem Judæi sciebant divinam istam personam esse, cui nomen  
& omnia attributa Dei competant, qui Jehovæ nomine insignatur,  
cum patriarchis versatus sit, populum ex Aegypto eduxerit, le-  
gem tulerit, in tabernaculo & templo habitaverit: nonne igitur  
se Deum gravissimis verbis prædicavit? Non istud quærebatur  
inter Christum & Judæos, an existat aliqua ejus generis divina  
persona, quæ super Messia homine & per ipsum illustri admo-  
dum ratione se sit revelatura; hoc enim non inficiabantur Ju-  
dæi, neque propterea a Christo demum ipsis probandum erat:  
sed tota disputatio versabatur in eo, an hicce Jesus Nazarenus  
non



non modo fit Messias homo in universum, sed in hac sua una persona, prouti tanquam filius hominis inter ipsos versabatur, simul benedictus iste Israelis Deus, cui divina majestas filii Dei competat?

Sed abruptum est in præsentia filium disputationis nostræ. Id unum adhuc monitos vos esse cupimus, CIVES, ne levem rem esse putetis, divinam Servatoris majestatem lædere. Sunt, qui per totam propemodum vitam nihil aliud egerunt, nisi ut enixo studio & labore conquirerent aliquid, quo Christo æternam divinitatis gloriam detrahere, nudumque hominem exculpere possint, qui sit Messias. Mihi certe horret animus semper ad horum hominum conatus, si mihi in mentem revoco, qualis Servator inde a lapsu generis humani hominibus promissus sit? qualem Christus ipse se prædicaverit? quem Apostoli annunciarint, in quo sit spes nostra collocanda? qualem denique orbis christianus in prima sua origine religionem a Christi legatis acceperit & tenuerit? Cave tibi, quis quis es, ne tandem vel invitatus experiri cogaris, quod *Jesaias* hostibus divinæ gloriæ, quæ Messias competit, minatus est, *cap. XVII, 10. 11. coll. cap. XXV, 8. XL, 5.* Nos vero, CIVES, hoc ipso, quod celebramus, Pentecostes festo, luculentum habemus testimonium, vere Deum esse, qui nos redemit. Etenim dulcissimus Servator is est, qui Spiritum s. effundit super homines, *Actor. II, 33.* Atqui idem ille est & JEHOVAH, verus Israelis Deus, ac iste quidem, quem Judæi confoderunt, *Zachar. XII, 10.* Convertamus igitur nos toto animo ad divinum nostrum Servatorem, quo & nobis Spiritum suum impertiatur, nosque veri ejus discipuli evadamus, *1 Joa. III, 24.*

---

P. P.

BUETZOVII SUB SIGILLO ACADEMICO,  
PRIMO PENTECOSTES FESTO DIE,  
MDCCLXVIII.



LBMV Schwerin 33  
000 630 772






Landesbibliothek  
Mecklenburg-Vorpommern  
Günther Uecker

[https://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn183714057X/phys\\_0020](https://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn183714057X/phys_0020)





✻   ✻   ✻

infiniti hujus spatii notitiam haud habent,  
tūd intueri, cogitandoque complecti, ex-  
vertere possint: sed ex uno tantum angu-  
ce campum aggredientes, viamque metien-  
unt. Hi enim in errores & ad devia loca  
r: aut si quando verum exitum inveniunt,  
atione. Inter prima interpretationis sacræ  
merito refertur textus sacri ipsius recta  
atio. Quomodo enim veros divinatorum le-  
orum verbis te percepisse certus esse pos-  
sum verba non adulterata, non glossas in-  
ia libratorum, te in manibus habere? Ha-  
a ætas, quo summo jure præferre se possit  
e nisi rerum theologiarum imperitissimus  
na magnorum hominum studia, quibus  
sacræ locum magnis accessionibus auxe-  
s augment, summa laude digna esse. Multo  
ens usum horum studiorum ipse negliget.  
elligit, hæc ad exteriorem vocum habitum  
is vero sensus hisce vocibus sit subjicien-  
imus, aliis & longe pluribus præsiis opus  
cis istis studiis ita se immergere totus ve-  
miretur, ut reliqua contemnat, aut non  
& in subsidium adhibeat, cum interea pro  
nihilofecius dogmatizare, religionemque  
itam explicare studeat; facile eo delabe-  
turas, temerariaque ingenii sui visa, qui-  
e s. re ipsa pervertuntur & turbantur, aliis  
itur oportet accuratissima cultura istorum  
ras vocum notiones investigare & perci-  
ngularum vocum in se spectatarum indo-  
lligendam linguæ ipsius, qua divini legati  
trata notitia pertinet. Hinc summis in ve-

a 3 ram